



SESSION 2007

CLASSES DE PREMIÈRES

VERSION LATINE

LA GUERRE NE DOIT PAS ÊTRE AIMÉE POUR ELLE-MÊME

Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda a quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus ; atque haud scio an satis sit eum qui lacessierit, injuriae suae paenitere ut ipse ne quid tale posthac et ceteri sint ad injuriam tardiores. Atque in re publica maxime conservanda sunt jura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum, confugiendum est ad posterius si uti non licet superiore. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam ut sine injuria in pace vivatur. Parta autem victoria, conservandi sunt ii qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt. Mea quidem sententia, iis quos vi deviceris consulendum est.

Cicéron